



**Confessio Henrici IV, christianissimi Francorum et  
Navarrorum regis : proposita ad judicandum utrique parti  
dissentientium de religione in regno Galliae, donec in synodo  
provinciali controversiae religionis examinentur ac  
dijudicentur accuratius**

<https://hdl.handle.net/1874/402967>

ORATIO  
 DE VITA ET  
 MORTE ILLUSTRIS-  
 SIMI ET LAUDATISSIMAE MEMO-  
 RIAE HEROIS, ET SAPIENTIS PRINCIPIS, DO-  
 mini GULIELMI, Landgravii Hassiæ,  
 Comitis in Catzenelnbogen,  
 Dietz, Zigenhayn, &  
 Nidda, &c.

SCRIPTA AB

ANDREA CHRISTIANO,  
*Juris Doctore, & illustribus ac generosiss. Comi-  
 tibus in Nassau Catzenelnbogen, &c.  
 & Hanau Mintzenberg  
 à consiliis.*



HERBORNÆ  
 Typis Christophori Corvini,

clō 13 xcii.

ILLUSTRISSIMO, ILLUSTRIS-  
SIMIQUE GENERIS PRINCIPI  
ET DOMINO,

DOMINO MAURICIO, LANDGRA-  
VIO HASSIÆ, COMITI CATTIMELIBO-  
CORUM, DECIORUM, ZIGENHAINÆ,  
ET NIDDANORUM, &c.

ILLUSTRISS. ILLUS ET LAUDATISS. MEMO-  
RIÆ HEROIS, DN. GULIELMI, PRINCIPIS CATTO-  
RUM, RELICTO UNICO FILIO, HERE-  
DI ET SUCCESSORI,

DOMINO SVO BENIGNISSIMO, HUMILI-  
TER OFFERT, DEDICAT, CONSECRATQUE

ANDREAS CHRISTIANUS.



HERBORNE  
Typis Christophori Corvini

1652

3

ORATIO.



Itanta lacrymarum flumina singuli effundere possemus, quantū Lanus hanc inclytam Chatterorum Academiam præterfluens, undarum vehit, non satis deflere, lugere & deplorare possemus mortem Illustrissimi Herois, & sapientis Principis, Domini GULIELMI, Landgravii Hassiæ, &c. patris patriæ, & Domini nostri benignissimi, proxima xxv die Augusti, hujus anni 92 Castellis placidè & piè obdormientis & defuncti; cujus memoria sit in benedictione. Nam si unquam casus aliquis nõ modò hisce provinciis, verùm potiùs universæ Germaniæ, acerbis & gravis accidit, certè hic optimi Principis nostri interitus, nobis omnibus acerbis esse debet, & propterea meritò publicis omnium lacrymis defletur. Quem enim casus ille improvisus & indignus non afficeret? cujus viscera, imò medullas, non penetraret? tam præcipuum sacri Romani Imperii Principem, non solùm genere, dignitate fortunisque longè clarissimum; sed & pietate, virtute & sapientia præstantissimum, tam subito á nobis ablatum & avocatum esse, gravi admodum luctu, & desiderio tristi, non tantùm Illustrissimis suis liberis, fratribus, & reliquis sanguine junctis, verùm etiam subditis, & omnibus bonis ubiq; locorū relicto. Et enim hūc duris genuisset cautibus horrens Caucasus, Hyrcanæque admōssent ubera Tigres, imò corneæ, ut dici solet, fibræ homo, & plus quàm ferreus & aheneus esset, qui tanti Principis morte non moveretur. Quod enim de Palamede, post necè Socratis, publicè in theatro Athenis fuit recitatū, eum fuisse Græcorum optimum, & Iusciniam Musarum Reip. utilem, id meritò de hoc nostro Principe affirmare & gloriari possumus, eum fuisse τῶν γεωμετρῶν ἄριστον, τὴν ἑδὲν ἀλύγυσσαν ἀνδρῶν μεσοῖν. Nec potuisset sanè periculosiore & perturbatiore omnium rerum statu mori, & quo magis ipsius sapiens consilium, & similis prudentia & au-

oritas; (præsertim ante annum 25 nimirum die Septembris,  
 ex his terris similiter ad cœlestem illam patriam evocato Duce  
 & Electore Saxonæ, illo nomine, & re, veré CHRISTIANO, &  
 eundem 6. Jan. die hujus anni, subito post subsequuto Duce JO-  
 HANNE CASIMIRO, Comite Palatino ad Rhenum; magnis  
 illis Germaniæ luminibus) non tantum nobis, verum toti Reip.  
 Christianæ profuisset, quam hoc ipso tempore, quo pleraq; or-  
 bis Christiani regna, Germanicum, Francicum, Pannonicum &  
 Polonicum, propemodum ad periodorum suarum decurrerunt  
 metas, & idcirco fluctuant, & nutant, & veluti jamjam corru-  
 tura videntur, & omnia bellis sunt repleta, imò bellum mediæ  
 Germaniæ, dulcissimæ patriæ nostræ, jam infertur. & tanta, proh  
 dolor, ubi vis locorum gliscunt odia, tanta aluntur & foventur  
 dissidia, cum ob certamina de religione in Ecclesiis mota; in  
 quibus verbo quidem de veritate cœlestis doctrinæ, & salute Ec-  
 clesiæ, sed re ipsa de privatis odiis, ac commodis, ac multi de pri-  
 matu dimicant, sicut veré Thucydides inquit, omnium ferè dissi-  
 diorum & seditionum causam esse τὴν ἀρχὴν διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλοτιμίαν;  
 tum ambitione & variis studiis potentum, ut ipsa si cuperet sa-  
 lus, non posset res Germaniæ ulterius servare integras. Idcirco  
 non dubito, quin quod apud Pindarum Adrastus de Amphiarao  
 vate inquit: Desidero te oculum exercitus mei, qui eras  
 utrunque, & vates bonus, & bellator fortis, nos brevi aliquando  
 de hoc extincto Principe nostro dicturos esse: Desideramus te,  
 Princeps optime & inclyte, oculum exercitus nostri, & in hac Reip.  
 orbitate, & turbulentis motibus, sapientiam tuam, ceu lumen,  
 requirimus, qui eras utrunque, & vates bonus, & bellator fortis.  
 Tantò enim justiores hujus querelæ causas habemus, quantò  
 hic Princeps noster, & vates, & bellator, Amphiarao longè præ-  
 stantior fuit, & quanto gravius vulnus Reip. ex ejus interitu ac-  
 cepit, quam passus est Argivorum ille exercitus, cum inter cate-  
 ros Duces etiam Amphiarao in agro Thebano amisisset: cum  
 sanè amiserimus vatem, & heroem Ecclesiæ, & patriæ Princi-  
 pem.

pem summum & sapientem, qui afflatus non Enthusiasmo fanatico, sed numine sancti Spiritus agitatus, non tantum religionem sinceriorem, & certamina de ea in Ecclesiis mota, verum etiam inde repullulantia, & indices magis magisque, crescentia odia & dissidia, & tandem suboritura extrema, nisi Deus hoc clementer avertat, pericula, si non fatalem interitum Ecclesiarum, & Reip. Christianæ, exacte & recte callebat, intelligebat, & prævidebat, sed pro sua sapientia & prudentia, tanquam veteranus miles, (prout secundum senarium Græcum, *γνώμα δ' ἀμείνως εἰσι τῶν γεραιτέρων*, & senibus est rerum prudentia major, imò senis umbra est potior gladio vel lancea adolescentis, ut vulgò dici solet) ita hactenus illa moderatus est, & ne ulterius serperent, vel majores vires acquirerent, & tandem prorsus erumperent, sua præsentia & autoritate cohibuit, ut solus propemodum usque hac intestina bella, hisce temporibus, & moribus, ubi vim patitur veritas, & unâ cum pietate procul exulat moderatio, pacisque; studium in Germania impedivisse videatur; optimè sentiens & intelligens, nullum bellum citius exardescere, & tardiùs deflagrare, quàm ob religionem motum, sicut hoc ætas nostra hisce annis, & quidem non sine magno detrimento, & incommodo Germaniæ in bellis Belgicis, & Gallicis, quorum nullum adhuc videmus & prospicimus finem & exitum, satis superque experta est, & quotidie experitur. Quid verò ex oculis eo nunc sublato & remoto, in posterum fiet, vel futurum sit, forsân brevi, & quidem cum periculo non tantum nostro, sed totius Reip. experiemur, & Deus solus novit. Nolo equidem malè ominari, sed nescio quid mihi mens mea præfagit, ne Deus iratus nobis hûc pium, & optimum Principem, præsertim hoc tempore, eripuerit, ne ipsius consilio & auxilio amplius uti frui possimus, & cum eo, omnis mutua consensio & salutaris pax & tranquillitas in Ecclesiis & Rebusq. sit extincta. Interim ferendum est æqua mentenecculpanđi, quod summo Imperatori & Domino aliter placuit; *Θεὸς ᾧ ἐτελεῖστο βελή;* & simul orandus est Deus Opt. Max. ne

singulari suo beneficio & munere, quo Germaniam præ aliis nationibus generis humani, hac ultima & effoeta mundi senecta, affecit & ornavit, accensam inter nos lucem veritatis suæ deleri vel extingui sinat, sed semen sanctum sibi etiam in posterum apud nos elementer colligat & conservet, à quo in hac & postea illa altera & cœlesti vita in perpetuum celebretur & glorificetur: quod propter te, propter te, æterne pater Domini nostri Jesu Christi, unici salvatoris & redemptoris nostri, ut facias, & quandiu tibi visum fuerit, pacem & tranquillitatem, nec non halcyonia, in quibus puritas verbi tui ad posteritatem quoq; nostram, si qua futura est, transferri & propagari possit, largiaris, ad dentibus animi gemitibus precor & oro.

Cum autem viventem hunc Principem, non modò propter singularem ejus erga me clementiam, qua me integros propemodum quindecim annos, à quo tempore in variis & gravibus legationibus Illustrissimi & fortissimi illius Herois, Domini GULIELMI, Principis Auricæ, laudabilis memoriæ, & illius illustis & generosissimi fratris, Domini JOHANNIS, Comitis Nassoviæ, Domini mei gratiosissimi, ejus Cel situdini innotescere cœpi, complexus est ita, ut me tandem etiam, licet tali munere indignum & imparem, in aulam & ad consilia sua accersere & adhibere voluerit, & satis amplum mihi stipendium offerebat; si res meæ ita tulissent, ut me Cassellas conferre potuissem; sed etiam propter multas præclaras & egregias sapientis animi dotes, & virtutes, unicè admiratus sim, & amârim: non potui facere, quin pro meo erga opt. Principem sincero amore, & debita gratitudine, in hoc publico luctu, acerbissimoq; omnium dolore, aliquid illius piis manibus parentarem; nō quòd ingenii inopia & dolore impeditus, justum encomium laudū illius instituire hoc tempore velim vel possim, sed ut hac misera & tristi voce saltem aliquam grati animi declarationem erga defunctū, & potissimū hoc ipso ostendam, quàm jucunda mihi illius virtus, grataq; semper officia fuere.

Et quia usitatum est initio, de patria illius, cuius encomium instituimus, dicere, quæ si antiquitate cum aliis provinciis certat, & bene morata est, auget decus, & homini tanto maiorem autoritatem conciliat, & aliquid ornamenti adfert. Unde non dubito divinitus omnium hominum pectoribus mirificum quendam patriæ amorem insitum esse, ut nimirum tanto magis extimularemur ad defensionem illarum maximarum rerum, quas patria continet & complectitur, religionis, legum, disciplinæ; imò verò ut admoneremur, etiam illam cœlestem sedem amandam & appetendam esse.

Idcirco nemo tam dissoluti est ingenii, quem non cupiditas aliqua teneat, cognoscendi antiquitatem patriæ, & quasi picturam veterem; sicut videre etiam iuvat illa tecta, quæ nascentes primùm exceperunt, cuius rei etiam tanta vis est, ac tanta natura, ut Ithacā illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteposuerit.

In confesso est autem, Chattos esse Hessos, & Castellam à Chattis nomen habere; sicut & Cornelius Tacitus testatur, Andernā, dicit Eder/Chattorum esse flumen, quod ut suam originem in hac vicinia habet, ita Hessiam perlabitur. Et scribit idem Tacitus, Hermunduros, quos Voilandos & Misnenses fuisse existimant, cum Chattis, id est Hessis, de fontibus salis dimicasse; prout credibile est, de illis ipsis salinis tunc temporis certatum fuisse, quæ sunt vicinæ Misniæ ad Salam, ubi nunc est urbs, quam Halam Saxoniam vocant: sicut & veterem militiæ & virtutis laudem adhuc Chatti seu Hessi tuentur. Sic quoque Plinius naturalis historiæ scriptor, qui anno Christi 82 in incendio montis Vesuvii periit, Chattorum meminit, quod populi sint Germaniæ non procul à Rheno. Et Dion scribit, Domitianum Imperatorem, Titi Vespasiani, everforis urbis Hierosolymitanæ, fratrem, qui circiter annum Christi 90 vixit, expeditionem in Germaniam contra Chattos suscepisse. Qui verò fuerint limites Chattorum, non satis certum est, nisi quod consentaneum



est, ad occidentem fuisse *Catteneinbogen*/ quæ vox *Cattimeliboc*os, hoc est, *Chattos* à *Meliboco* monte, qui in itinere intra *Darmstadium* & *Heydelbergam* monstratur, ad *Rheni* ripam progressos, seu *Chattorum* anconem significat. Possederunt autem quidam *Hassiam* superiorem seu montanam versus *Saxoniam*, *Buchoniam*, item & *Franciam*, circa *Würtzburgum*: item *Comitatum Hennebergensem*, cum vicina *Thuringiæ* parte. Quorum veró pars circa *Cassellas*, *Gottingam* & *Padebornam* versus, ubi est aditus à montibus *Abnobiis*, dem *Hessischen Gebirge*/ ad *Westphaliam*, sedit, *Catturii* in historiis appellantur.

Cum autem *Conradus* Imperator, cognomento *Saliquus*, intercessione conjugis *Giselæ*, agnato ejus, *Ludovico* nomine, ex veteri stirpe *Francica*, cui nonnulli titulum *Comitum Aurelianensium* tribuunt, ab *Hugone* Episcopo *Moguntino* fratre, partem quandam *Thuringiæ* impetrasset, & postea *Lotharius* Imperator, hujus *Ludovici* nepotem, avo homonymum, collocata ipsi prius filia *Hedvige* in matrimonium, supra ceteros *Thuringiæ* Comites, quorum tunc temporis numero duodecim erant, extulisset, & nova ornatum dignitate *Comitem provincialem*, seu ut vocant *Landgravium* constituisset, & ut aliis potentia & viribus antecelleret, adjunctiõne cõjunctarum terrarum *Thuringiæ* & *Hessiæ* auxisset: Ab hoc *Ludovico* cognomento *Barbato*, *Lotharii* Imperatoris genero, stirps *Landgraviorum Thuringiæ* defluxit, qui regionem utramque *Thuringiam* & *Hessiam* usque ad *Ludovicum* ultimum, cognomento sanctum, & *Divæ Elizabethæ*, foeminæ à pietate celeberrimæ, maritum, tenuerunt. Hæc matrona nata patre *Andrea* rege *Ungariæ*, & matre *Gertrude*, quam cum absente marito *Banebanus* præcipuus gubernator domus regiæ, cui rex *Andreas* & regni & conjugis ac liberorum curam demandarat, ob stupratam sibi à reginæ *Gertrudis* fratre, conjugem, obtruncasset; & postea hæc *Elizabetha* maritum *Ludovicum*, *Landgravium*

um Hessiæ & Thuringiæ, in terram sanctam profectum, & nau-  
sea navigationis extinctum amisisset; præterea filium Herman-  
num, decimum octavum annum ætatis ingressum, improba  
quædam anus, cum planctu subditorum, veneno sustulisset; de-  
nique ab Henrico mariti fratre possessione sua expulsa esset: ista  
omnia tamen mala & varias calamitates tanta animi patientia  
& virtute superavit, ut postea se mundo veluti abdicarit, & to-  
tam precibus & cultui divino, nec nõ commodo & usui paupe-  
rum devoverit, & tandem propter pietatem & munificentiam  
erga egenos & Christi ministros, a Gregorio IX. Pontifice Rom.  
Perusii urbe Italiæ anno 1235 inter sanctos sit relata. Dicitur  
hæc hospitale in domo Theutonica, ut vulgò vocatur, in cujus  
etiam templo anno 1231 est sepulta, & ejus monumentum  
adhuc visitur, fundasse: cum familia ordinis Theutonicorum,  
quos a professione & symbolo Marianos appellant, initium, 42  
annis retrolapsis, antea ad Ptolemaidem, Imperatore Henrico  
sexto, habuisset, autoribus quibusdam familiis urbium Bremæ  
& Lubecæ, qui magnis sumptibus ædificato & extructo ibi xe-  
nodochio, in usum eorum, qui familiæ infererentur, postea cum  
numerus eorum crevisset, ceu colonias inde in Germaniam de-  
duxerunt, gubernatione ejus familiæ commendata cuidam Hen-  
rico Walbodio, qui primus munus ut vocant Magistri subiit,  
seu primus hujus ordinis magister fuit. Novæ postea coloniæ in  
Germania, nõ malo, sed pio & optimo consilio, quo nihil aliud  
quàm plantatio & propagatio Ecclesiæ, & Imperii ampliatio,  
nec non familiarum conservatio, spectatum fuit, auctæ & robo-  
ratæ, & numero opibusque ditatæ, Friderico secundo imperan-  
te, Borussia, & aliquanto antè Livoniam, domitis barbaris  
gentibus, Imperio adjecerunt, & diu exceptis repressisque feli-  
citer ferarum gentium irruptionibus, velut murus ista loca se-  
ptentrionalia protexerunt.

A morte verò Ludovici sancti, cui nupta fuit, ut dixi, diva  
Elizabetha, & fratrum illius Landgraviorum Hessiæ & Thurin-

gię, de jure successionis cōtendebant Henricus, Marchio Misnię, & Henricus, Johannis Brabantię Ducis filius. Uterque allegabat matrem, ille Juttam, fratrum Landgravorum Thuringię & Hessię sororem; hic Sophiam, tertii fratris Ludovici sancti & divę Elizabethę filiam; & nitebatur uterque studiis, favore & auxiliis subditorum, sed diversorum. Henrico enim Marchioni adhęrebant vicini Thuringi Isenacum usque; Henricum veró Brabantinum fovebant & sequebantur Hessi. A disceptatione ad arma deventum, variã fortunã aliquoties dimicatũ est. Tandem tamen illud bellum ita solutum & sopitum est, ut Brabantinus Hassia contentus, usque ad definitos limites, ab Isenaco & Thuringia universa abstineret, quę Henrico Marchioni Misnię cessit. Quam transactionem cū deinceps Rodolphus Imperator ratam haberet, Principes, amicitia inita ac fœderibus, viciniã jura arctioribus, etiam majoris necessitudinis vinculis, quę in familiis ducum Saxonię & Landgravorum Thuringię, nec non Landgravorum Hassiã, in hodiernum usque diem adhuc durant & conservantur, sanxerunt, ut qui priores decederent, alteros heredes suarum ditionum relinquerent.

Est autem Brantię ducum origo á Comitibus Lovaniã, qui antiquitus simul Lotharingiam tenuerunt. Sed ab his devoluta est Lotharingia in Comites Billionæos, inter quos claruit Godefridus Billionæus; qui cū sub Imperatore Henrico quarto, Ducatu Billionæo vendito, memorabili in terram sanctam sive Palæstinam, cum Balduino & Eustathio fratribus, & aliis comitibus, expeditione, Turcis procul ex anteriore Asia ad Pontum usque abactis, & Saracenis in Aegyptum depulsis & conclusis, primus conscensis & superatis mœnibus in urbem Hierosolymam eruperat, & anno Christi 1099 primus rex Hierosolymorum creatus esset: regni tamen titulum & insignia se ideo suscipere nolle dixit, quód indecens duceret, diadema aureum hominem peccatorem gestare in ea urbe, in qua Salvator mundi, æternus rex noster, spineam coronam suo sacratissimo sanguine

guine madentem gestasset; idcirco ei ad sepulchrum Domini- cum flexis genibus procumbenti, spineam coronam cum signo crucis impositam esse perhibent. Unde adhuc Duces Lotharingæ signum crucis inter alia arma in suis insignibus gentilitiis gerunt; cujus regni nomen & insignia similiter quoque ab eo tempore, quo Fridericus II. Imperator anno 1229 post, Suldanum ad eas pacis conditiones adegit, ut urbs Hierosolyma, cum oppidis Nazareth & Joppe, aliaque loca Imperatori restituerentur, & induciæ inter Christianos & Saracenos in decenniū sancirentur, qui Siciliae regnum hætenus possederunt, in hodiernum usque diem usurpant. Huic Godefrido deinceps in Lotharingia successit Henricus ex stirpe Comitum Limburgensium, qui filios reliquit Conradum & Henricum; quorum hic in Hispaniam militatum abiit; ubi cum multa præclare gessisset, ab Alfonso rege VI. Castiliae & Legionis, in præmium militiæ impetravit filiam Iotham, & cum ea regnum Portugallia: Conradus verò absque sobole mascula mortuo, Henricus V. Imperator Lotharingiam tradidit Godefrido & Wilhelmo fratribus, Lovanii Comitibus, qui partiti sunt inter se Lotharingiam, ut Godefridus inferiorem & mari Rhenoque proximam, Brabantia nomine, quod de provinciæ corrupto nomine extitit, retinuerit, & Wilhelmo superior Lotharingia ad Arduennam sylvam & Mosæ fontes cesserit. Hic Lotharigos procreavit Principes usque ad Carolum ultimum, a quo devolutus est Ducatus ad Fridericum Comitem de Vadimont, authorem stirpis Ducum, qui nunc Lotharingiam tenent. Godefridus verò Brabantinos Duces produxit, ex quibus Henricus Dux Brabantia, Sophiam, filiam Ludovici, Landgravii Hestia & Thuringia, & diuæ Elizabethæ in matrimonium duxit, & cum ea Landgraviatum Hestiae acquisiuit; unde Illustrissimi Principes nostri, qui adhuc hodie rerum in Hassia potiuntur, suam originem trahunt, quorum majores si titulum & insignia Ducatus Brabantia retinuisent & cõservassent, forsan etiam jam Brabantia potirentur.

tur; qui Ducatus, cum Brabantinorum Ducum stirps in Belgio defecisset, postea ad Comites Hollandiæ est translatus, unde ad Comites Lucelburgenses, & tandem ad domum Burgundicam pervenit.

Quæ ideo tam prolixè ex historiis repetere volui, quòd partim multi, etiam in his terris nati, vel alioquin in iis degentes, & Illustrissimorum Principum nostrorum clientela & protectione utentes fruentes, imò quotidie in hac urbe domum Theutonicam, ut vocant, prætereuntes & aspicientes, neque de antiquitate hujus gentis, vel origine Principum nostrorum cogitant, vel illius meminerunt, cum tamen turpe sit historiam suæ gentis & patriæ ignorare; partim quòd ista omnia in tantò majorem dignitatem & auctoritatem Principum Hassiæ redundant, cum quòd antiquitate gentis & generis, non facile aliis provinciis Germaniæ & Principibus cedant, sed cum illis contendere possint; tum quòd secundum Horatium,

*Fortes creantur fortibus, & bonis*

*Est in juvenis, est in equis, patrum*

*Virtus, nec imbellem feroces*

*Progenerant aquile columbam.*

Quod eleganter nostri temporis Poëta, meus popularis, Georgius Sabinus, Brandeburgensis, paulò aliter elegiaco carmine expressit:

*Fortibus eduntur fortes, claròq; parentum*

*Semine progenies orta, timore caret;*

*Non pavidam Veneris volucrem Jovis armiger ales*

*Imbellem generat, nec leo fortis ovem.*

Ut autem revertatur oratio nostra, unde paulò digressa est, natus est noster inclytus heros, Landgravius G U L I E L M U S, de quo jam verba facimus, 24 die Junii, qui erat Johanni Baptistæ sacer, anno gratiæ 1532, quo ipso, 13 Augusti post, obiit optimæ recordationis Princeps J O H A N N E S Dux Saxoniae Elector, Friderici illius, cognomento Sapientis, frater & successor; qui biennio

biennio antè, anno nimirum 1530, uná cum aliis sibi conjunctis Principibus, Georgio nimirum Marchione Brandenburgensi, Johanne Friderico Duce Saxonæ, Ernesto Duce Brunsvicensi, & nostri jam defuncti Principis, opt. & fortissimo patre, PHILIPPO Landgravio Hessiæ, Francisco Duce Lunæburgensi, Wolfgango Principe Anhaltino, & civitatibus Imperialib. Norimberga & Reutlinga, Confessionē quam vocant Augustanam, á Philippo Melanthonē, communi præceptore nostro, conscriptam, Carolo V. Imperatori postridie Johannis, 25 nimirum Junii, qui tunc fuit dies Sabbati, proximè dominicam secundam Trinitatis præcedens, Augustę Vindelicorum in Palatio Cæsaris exhibuit.

Et fuit hic ipse tricesimus secundus annus, quo Albertus Cardinalis & Episcopus Moguntinus, & Ludovicus Palatinus, Electores, primam á Cæsare pacem sacram impetrarunt, ne videlicet religionis causa cuiquam in Imperio ulla molestia crearetur, ad usque Concilii tempus; aut si nullum celebraretur, tantisper donec per ordines Imperii alia inveniretur ratio hoc diffidium sanandi & componendi. Quantumvis enim anno 30 editum non nihil asperius contra Ecclesias Protestantium, hoc est, Euangelicorum statuum sive ordinum, vt hodie appellantur, promulgatum fuerat, & Caroli V. Cancellarius Heldus, cum Moguntia pauló post Albertus Episcopus Moguntinensis, & Dux Palatinus Ludovicus de Germaniæ pace cum Carolo V. collocuti fuissent, ipsius astantis nomine aliquanto durius responderat; Cæsarem, qui alia etiam regna haberet, decretum adversus hereticos in Comitibus factum, etiam si vastanda esset Germania, omnino exequi decrevisse; hunc tamē interpellans Cæsar dixisse scribitur: Hæc non jussi te dicere: siquidem Germaniam, quæ mihi patria est, & á qua summum Imperii decus & diadema accepi, vastari nolo, & Imperator potius salutem orbis terrarum, quantum potest, Deo juvante consulere debet. idcirco data Moguntino & Palatino de pace cum Protestantibus agen-

di potestate, eam tandem confectam Ratisbonæ anno 32 confirmavit. Quod eo potissimum sine recito & commemoro, quod nimirum singulari Dei munere & providentia factum sit, quod Princeps noster GULIELMUS eo potissimum tempore natus est, quo DEUS misertus generis humani, tam densis tenebris oppressi, & titulo Ecclesiæ Romanæ ceu fascino miserè dementati, inque tam profundis superstitionum & Dei Maozim (quem secundum Danielis prophetiam auro & argento coluerunt, & adhuc in Papatu, non sine maxima & gravissima idololatria & ἀρτολαγρία, & horribili contumelia filii Dei, & profanatione nominis ejus, colunt, & propterea genus humanum fatalibus poenis, bellis, dissidiis & aliis calamitatibus publicis premitur, & dextera regni Turcici, vindex idololatriæ & scelerum, quibus orbis Christianus inquinatus est, confirmatur) involucris detenti, & propemodum submersi, ineffabili bonitate paulò antè excitaverat MARTINUM LUTHERUM, ei que adjunxerat fidum laborum socium, ceu *πρωτεύων καὶ σύνεργον*, PHILIPPUM MELANTHONEM, quorum ille insolubilem tunc temporis, imò terribilem & formidabilem omnibus Christiani orbis Regibus nodum Gordium Pontificiæ Hierarchiæ in Germania, uno verbi divini ictu validissime incidit & sustulit; (quo eodem tempore simul ULRICUS ZUINGLIUS, nondum sciens quicquam de primis Lutheri Disputationibus contra indulgentias Pontificis Romani, puriorem doctrinam in Helvetia profiteri cœpit) Hicverò MELANTHON controversias tunc temporis de religione motas, miravi ingenii, & dexteritate planè divina, ex intricatissimis scholasticæ doctrinæ labyrinthis, ad planissimam & explicatissimam methodum revocatis, Disputationibus & piis doctissimisque scriptis suis illustravit & defendit. Et cum præcipua laus sit, ut inquit Basilius, unam habere patriam laudatissimam, Ecclesiam, sanè pro magno Dei dono & beneficio est habendum & censendum, quod Prin-  
cipem

cipem nostrum non in tenebris Papisticis, Cymmeriis densioribus, sed sub initium reformatæ religionis, & quidem tempore, à tot piis & laudatissimis Principibus, & inter alios etiam, Celsitudinis suæ illustrissimo parente, Domino PHILIPPO Landgravio Hassiæ, optimæ memoriæ, cum magna animorum constantia (sicut ferunt Georgium Marchionem Brandeburgensem tunc temporis Carolo quinto Imperatori in faciem dixisse, paratum se esse, potius collum ac cervicem carnifici præbere, quàm doctrinam ea Confessione repetitam & oblatam abjicere) exhibitæ Augustanæ Confessionis, nasci voluerit, procul dubio, ut illo in posterum ceu salutari instrumento & organo propagandi & tuendi veritatem doctrinæ cœlestis uteretur, sicuti eandem etiam doctrinam hæctenus egregiè & fideliter defendit & tutatus est.

Sic quoque arcano veluti fato accidisse judico, quòd *ουγγεβ-  
vus* & coætaneos habuerit, paulo pòst, & sequenti nimirum anno **1533** natos, sereniss. reginam Angliæ, dominam ELISABETHAM, filiam Henrici VIII, cujus semper honos, nomen laudesq; manebunt, quòd veritatem purioris & sincerioris religionis amplexa, non ignara mali, ut de Didone, regina Carthaginiensium, Virgilius refert, miseris, & propter ejusdem religionis confessionem nunc tot annos plus quàm Scythico more oppressis, trucidatis & profligatis, & propemodum à toto mundo neglectis & desertis, Belgis & Gallis succurrere, & suppetias & auxiliares manus ferre didicit; & laudatissimæ memoriæ GULIELMUM, Principem Auraiçæ, & Comitem Nassoviæ; quorum utrumque summo honore & amore, donec vivebat, persecutus est, & ab iisdem vicissim in magno est pretio habitus & redamatus. Et memini illum non tantum in profusas lachrymas erumpere, quotiescunque recordabatur perfidæ cædis in Auraiço Principe commissæ, sed illi hoc quoq; testimonium perhibere, quòd nullus Principum hac nostra ætate,



tantos labores, impensas & pericula, in afferenda & defendenda sinceriore religione, impendisset, sustinisset, atque exantlavisset, quàm Princeps Auràicus; unde etiam filiam Auràicam ante paucos annos in Belgium ad fratrem, Principem MAURICUM, & sorores abeuntem, me præsentem inter alia his verbis consolabatur, quòd si provinciæ Belgicæ beneficiorum ab ipsius parente, in clyto illo Heroë, ut eum appellabat, acceptorum immemores forent, Deum tamè propter præclara & egregia merita parentis, Ecclesiæ & Reipub. Christianæ præstita, sibi suisque non defuturum.

Quia verò Illustrissimus defuncti nostri herois pater Landgravius PHILIPPUS, laudatissimæ memoriæ, prout Princeps fuit non tantùm fortis & bellicosus, verùm etiam prudens, optimè intelligebat, sine literis neminem veram cognitionem rerum & sapientiam consequi posse, & nulli magis, quàm Principum liberis, doctrina & bonarum artium scientia opus esse, imò nullum esse, quem vel plura vel meliora scire oporteat, quàm Principem, cujus doctrina omnibus subjectis prodesse debet, ut Vegetius de re militari inquit: nihil prius habuit, quàm ut hunc majorem natu filium, sicut etiam alios suæ Celsitudinis filios, in bonarum artium studiis, & in primis in pietatis doctrina rectè & quàm optimè institui curaret. Judicabat enim optimus & inclytus parens Landgravius PHILIPPUS, non satis esse, ut illius filii solummodò equitare, & ferè nihil aliud bene & præclarè discerent, sicut ferunt Carneadem, virum sapientem, olim de Regum & Principum filiis dixisse; sed ut vera pietate, eruditione, sapientia & omni virtute animi illorum expolirentur, & ad gubernationem ita prepararentur, ut paulo post pie & sapienter Rempub. administrarent, inque patris crescerent munia magna sui. Unde hic noster Princeps GULIELMUS à primis quod ajunt annis, bonis literis & quidem in hac ipsa Academia summo indefessoque studio operam dedit, & ejusmodi in iis progressus fecit, ut non tantùm linguam Latinam quàm optime

me calleret & intelligeret, verum etiam ubi opus esset, & inprimis cum doctis & literatis, illam fari posset; longè hac in parte felicior primo Duce Wirtenbergensi Eberhardo, quem in Conventibus Imperii, & profectioibus Italicis, & aliis, graviter iratum tutoribus suis fuisse ferunt, quod adolescentem Latinam linguam doceri prohibuissent; imò & Carolo v. Imperatore, qui cum Genue in Italia, elegantissima & exquisitissima oratione Latina nomine Senatus istius Reipub. exceptus fuisset, graviter ingemuit & deploravit, quod præceptori suo non morem gessisset, & linguam Latinam rectius & exactius addidicisset, ut vim & lumina verborum illius orationis assequi potuisset. Et magnam in Principem nostro GULIELMO ingenii vim & heroicam indolem fuisse, vel inde etiam apparet, quod tantopere studiis mathematicis non tantum delectabatur, sed tam præclara quoque in iis fundamenta jecerat. Ut enim studio mathematico olim maximi reges non solum voluptatis causa, sed quod ad consiliarum gerendarum hoc conducere arbitrabantur, dediti fuere; unde Homerus in clypeo Achillis sidera pingens, & cœli verticem & motum describens, nihil aliud significare voluit, quam harum rerum inquisitionem summis heroibus dignam esse: Et non tantum apud Græcos, Atlas, Orion, Chiron, Hercules & Solon, & apud Romanos, Julius Cæsar, Augustus, Theodosius hæc studia coluerunt, sicut & Jopas apud Virgilium in regio convivio canit errantem lunam solisque labores: verum etiam Alfonso Lusitaniæ Rex, tantum lucis huic arti attulit, ut nomen ejus propter tanti beneficii memoriam omnibus eruditis & prudentibus gratissimum & charissimum sit; cum huic præcipue debeamus, quod extat adhuc erudita anni descriptio, & quod non prorsus ignoramus solem, ut apud Homerum Cymmerii: sic noster Heros multum studii & operæ in addiscendis mathematicis posuit, in quibus etiam tantum profecerat, ut non solum cum artificibus de motibus stellarum conferre posset, sed etiam instrumenta ad observan-

dos motus sibi ab ipsis fabricari curaret; sicut meminimus illius Celsitudinem non tantum D. Victorinum Schönfeldium, verum etiam magnum illum virum D. CASPARUM PEUCERUM, propter hæc ipsa studia mathematica in magno honore & pretio habuisse, non aliter, quam sicut Rex Ungarię Matthias, quamvis nemo Principum ejus ætatis bellicosior erat, Joannis Regiomontani summi mathematici sermone & familiaritate delectatus fuit, ut quoties ex urbe Vienna eum in vicinam aulam suam evocaret, & mensæ suæ adhiberet, non tantum multa de motibus syderum, & variis naturæ partibus ex eo sciscitatus sit, sed instrumenta etiã ad observandos motus cœlestes sibi ab ipso confici curaverit, & pensionem annuam ducentos aureos Ungaricos dederit, & multos alios viros doctos & mathematicum cultores ad fastigia amplissimorum honorum evexerit.

Anno deinde 46, quo ipso diem obiit D. Martinus Lutherus, sub initium belli, quod vocant, Schmalcaldici, ubi nimirum magnanimus ille Heros Landgravius PHILIPPUS, cum Duce Johanne-Friderico, Electore Saxonię, & aliis confœderatis, pro defensione tam religionis sincerioris, adversus Antichristi Romani impiã & impuram doctrinã, cum internecone & everfione totius Germanię conjunctam (sicut Pontifices Romani cum suis aſſeclis jam multos annos nihil aliud quam sanguinem illorum, qui ab impia Ecclesię Romanę doctrina defecerunt, sitiverunt, & adhuc immani odio sitiunt) quam cõservandæ etiam libertatis Germanię causa, contra Carolum V. arma sumfit; priusquam finibus suis exiret, hunc suæ Celsitudinis natu maximum filium GULIELMUM Argentoratum misit; ubi similiter aliquandiu bonis literis incubuit, & sub præceptore Garnerio Gallo simul rudimenta linguæ Gallicæ addidicit.

Cum veró anno subsequente Dux Saxonię Elector, vel minus cautus, nimisq; securus in tam arduo negotio atq; bello, vel aliorum consiliis rationibusq; inductus, vel quocunq; tandem fato, celeritate & vigilantia, nec non fervore quodam adversaricum,

riorū, in sylvā Lochana tribus trans Albim miliaribus, oppres-  
sus victusq; , & fusō nec non profligato cæsoq; exercitu, fortissi-  
mē pro sua salute dimicans, neq; a suis recedens, vulnereq; ad-  
verso graviter sauciatus, in potestatem Caroli v. Imperatoris ca-  
ptus pervenisset; & Landgravius PHILIPPUS paulō pōst sum-  
ma cupiditate ubiq; stabilis & certę pacis, autoribus potissimūm  
Principibus, Electore Brandeburgensi, & Duce Mauricio, gene-  
ro suo, sese & ipsum, facta deditioe, Imperatoris fidei permisit-  
set, & ad Imperatorem in urbem Salinarum Saxonicarum ac-  
cessitus, ibidem (quod neque ipse tum metuebat, neque quis-  
quam eorum, qui pro illo deprecati, ipsi persuaserāt, ut clemen-  
tiam potius Imperatoris semel, quā iterum vim & arma expe-  
riri vellet, suspicatus fuerat, quiq; sanē cunctantem eum in tales  
angustias deduxerant) in custodiā daretur & duriter haberetur,  
parumq; liberaliter humaniterq; tractaretur: Hic noster Prin-  
ceps GULIELMUS, uti erat naturā φιλόσοφος, nihil prius habuit,  
quā ut quas posset rationes iniret, quibus optimum parentem  
ex illis vinculis liberaret, atq; ita debitam gratiā pro nutritio-  
ne parenti referret, cū secundū Euripidē, *ἐκ ἐστὶ παισὶ τέτε κἀλ-  
λιον γέρας, ἢ πατρὸς ἐδιδῶν ἢ ἀγαθὸν σφευκέναι, ἢ τοῖς τελευσιν ἀξίαν τιμὴν νέμειν.*  
Non liberis sit pulcrius munus aliud, quām liberos dici parentis  
optimi, parentibusq; dignum honorem reddere.

Et cū illustrissima ejus mater CHRISTINA, illustri Saxo-  
num sanguine nata, & filii, & quidam delecti cōsiliarii, subitō ad  
omnes Principes & Ordines Imperii scriberēt, eosq; rogarēt, ut  
pro marito & liberorū parente apud Cæsarem intercederent, &  
omne studiū cōverterent, ut quam primūm libertati restitu-  
tus, domum rediret, & optima Landgravii Philippi conjunx,  
eius rei cōficiendæ causā, ipsā Augustam abiret, & Principes sol-  
licitaret, ut pro marito intervenirent, verūm nihil proficeret,  
sed Landgravius PHILIPPUS in quintum annum captivus  
detineretur; interea verō temporis, anno nimirum 49, inclyta  
ejus uxor, multis afflictā curis atque mœrore, ē vita decederet.

Illustrissimus noster Princeps GULIELMUS non destitit apud  
 Ducem Mauricium, & Marchionem Brandeburgicum, Ele-  
 ctos instare, & hoc urgere, ut ratione sponsionis, & obligati-  
 onis, sibi suisque fratribus præstitæ, patrem liberarent & restitue-  
 rent, aliosque Principes rogare, ut pro illius liberatione denuo  
 apud Cæsarem intercederent. Qui cum hac de re anno 51 suos  
 legatos ad Cæsarem misissent, & illi aliquanto diutius eman-  
 rent: noster heros pertæsus illius moræ, ipsemet ad Ducem  
 Mauricium proficiscitur; & quoniam intercessionis spem sibi  
 fecisset, & verò nunc aliquot menses essent elapsi, postquam le-  
 gati iter ad Cæsarem fuissent ingressi, quid actum sit exquirat.  
 Qui cum illi respondisset, quod legati Regis Daniæ tardiùs non-  
 nihil, & tunc primùm advenissent, quando jam Cæsar Augusta  
 OEnipontem concessisset, & propterea moram intervenisse;  
 deinde Cæsarem colloquium illius expetere, eoque patris sui  
 liberationem differre; & quamvis sibi grave esset, hoc tempo-  
 re finibus suis exire, tamen quod ista causa vehementer & in-  
 primis afficeretur, eo proficisci, acceptis tamen primùm a Cæ-  
 sare literis, planè constituisse, diceret. Landgravius GULIEL-  
 M US, pro insigni erga patrem charitate, hoc incertum & du-  
 bium esse responsum, inquit, neque se videre quid sit ampliùs  
 expectandum; parentis interea miserabilem esse fortunam, qui  
 moerore & squalore carceris contabescat; cui cum nulla ratio-  
 ne Dux Mauricius, cum ratione officii, tum etiam promissi, de-  
 esse posset, idcirco operam dare, & hoc urgere & efficere vel-  
 let, ut intra definitum tempus, & brevi quidem, apertè respon-  
 deretur. Tandem inter illos secretè convénit, quod hic patrem,  
 ille socerum, armata potius manu é vinculis liberare, & Cæsa-  
 ri extorquere vellent, quàm pati & ferre, ut diutius in carce-  
 ris squalore detineretur. O maxima rerum, & meritò pie-  
 tas homini tutissima virtus, non minùs in hoc utroque Prin-  
 cipe, quàm illis duobus Catanæis, Philonomo & Callia, lau-  
 danda & celebranda! qui cum mons Aetna ignes in urbem Ca-  
 tanam

tanam eiecisset, & alii relictis parentibus fugerent, ut suas opes  
efferrent,

*Illis divitiæ sola materq; paterq;*

*Hanc rapiunt præadam, mediumq; exire per ignem*

*Ipso dante fidem properant.*

Unde postea:

*Erubere pios juvenes attingere flamma;*

*Et quacunq; ferunt illi vestigia, cedunt.*

ut Virgilius hanc historiam in Aetna recitat.

Et cum omnes homines natura libertati studeant, & conditionem servitutis oderint, ut Cæsar de bello Gallico inquit; imò libertas sit res inæstimabilis, & omnibus rebus favorabilior, ut Jurisconsulti nostri loquuntur; unde etiam Diodorus Siculus valde iniquum esse ait, ingenuorum corpora, ad tuendam Rempub. destinata; magno salutis & incolumitatis publicæ detrimento, nexibus servitutis irretiri; & publicè intersit, ne liberi homines a quoquam retineantur: illi factò cum Rege Galliaë foedere, & collectis copiis ex milite tunc temporis post dedicationem urbis Magdeburgensis dimisso, magnis itineribus de improvisò, celeriusque omnium opinione Augustam Vindelicorum contendunt; cujus urbis cives, cum se suaque omnia in fidem ac potestatem Ducis Mauricii & sociorum permisissent, & imperata facere promisissent: exinde Alpes petunt, & rectà Fieffam, quod est in Alpium aditu positum oppidum, ad Lœchum flumen, contendunt, & profligato Cæsariano milite, & iis, qui prope Rutam castra fecerant, ad mille partim captis, partim interfectis, partim in Lœchum præcipitatis, ad arcem Erebergum pergunt; qua capta & occupata, Zirlam, quod duobus non magnis miliaribus ab OEniponte abest, petunt. Quod cum Cæsar cognovisset, maxima celeritate tumultuariè OEniponte, cum fratre Ferdinando, qui persuadendæ pacis causa eò venerat, discedens, & per Alpes, qua Tridentum itur, ad lævam deflectens, Villacum, quod est in Carnis oppidum, ad Dravum

flumen sese recepit. ubi veró Dux Mauricius, & Landgravius Gulielmus, postea cum sociis Oenipontem venerunt, quicquid ibi repertum est Cæsaris & Hispanorum, & Cardinalis Augustani, direptum fuit; Ferdinandi autem Regis atque civium bonis nihil dampni datum.

Cúm veró Rex Ferdinandus jamdudum de pace apud Electorem Mauricium egisset, & triduum solum reliquum esset ad inducias, quas futuræ transactionis causâ constituerat: Dux Mauricius Passavium, ad Danubium flumē situm oppidum, petiit; Landgravius veró Gulielmus & socii, idem quâ venerant iter ingressi, Fießlam revertuntur, & exinde cum omnibus copiis ad Eistetum, quod est Bavariæ finitimum oppidum Episcopale, castra ponūt; & interea temporis tam suo quâm Mauricii nomine literas Augustæ evulgant, quibus omnes ministros Ecclesiæ atq; ludimagistros, ab adversariis propter religionē, ut vocant, Augustanæ Confessionis ejectos & exterminatos, revocant & libertati restituant, iisq; injungunt, ut nō solum in urbe Augustana, verum etiã aliis in locis, prout esset illorum vocatio, verbum Dei puré, juxtaq; Confessionem ibi olim exhibitâ, docerent, & recté pieq; juventutem in literis erudirent, illorum Principum consili tutela & patrocinio; Et exinde motis castris Rotenburgum, quod est ad Duberum flumen Franconiæ vicinum oppidum, progrediuntur.

Interim Elector Mauricius Passavii præter soceri sui Landgravii Philippi liberationem, duo potissimum agebat & urgebat; unū, ut iis de rebus, quæ Germaniæ libertati nocerent, Ferdinandus Rex, & Maximilianus filius, & intercessores jamjam cognoscerent, & ex legibus & pro consuetudine Germaniæ de iis pronunciarent: alterum, ut religioni pax daretur, nec ulla cuiquam eo nomine, dum integrè rota controversia esset conciliata & decisâ, molestia aliqua fieret. Verum quia Cæsar in plerisque non assentiret, & Rex Ferdinandus se offerret, quod hac de causa ad Cæsarem fratrem ipse magna celeritate contendere, atque

re, atque ei omnia, quæ ad pacem spectare viderentur, persuadere vellet; & idcirco Mauricius rogaret, ut ejus temporis quod itineri dandum esset, octo videlicet dierum saltem moram leniter ferret, ipse verò hoc recusaret, & confestim ad Landgravium Gulielmum, & alios socios, qui tunc Mergenthemii ditionis Prussiæ Magistri oppidi, castra haberent, rediret, exinde ne in tali rerum dubio statu nihil agerent, & quòd Cæsaris præsidium, septendecim nimirum signa militum, & equites ad mille, Francofurti essent, & hisce terris inde non parvum discrimen immineret, eò per agrum Episcopi Moguntini contenderunt, eamq; urbem obsidere cœperunt.

Quia verò interea temporis Cæsar se apud fratrem Ferdinandum declaraverat, ut nimirum de rebus Imperii, quas proposuisset Mauricius, non à delectis aliquot separatis, sed ab universis Ordinibus in proximo Conventu Imperii cognosceretur, ad quem usq; similiter causa religionis pacata maneret, & quod in eodem Conventu de cõmuni Ordinum consilio ex re & salute Reip. profuturum esse statueretur, ratum atq; firmum haberetur: Rex Ferdinandus subito ad Mauriciũ & socios, Bohemiæ Cancellarium, Henricum Plauensem, Misniæ Burggravium, in castra ante Francofurtum mittit, qui hac de re ad illos referret, eisq; pacem, cum ob periculum, quod eis à Cæsare, qui jam firmissimum exercitum haberet, incumberet, tum & in quantum discrimen potissimum Landgravius Gulielmus & parentem captivum, & omnem provinciam Hassicam, adducturus esset, persuaderet. Quam cum Dux Mauricius & Landgravius Gulielmus admisissent, & relicta obsidione se Passavium contulissent, altera die Augusti, anno 1552, tandem inter alia salutariter & feliciter est transactum, ut Landgravius Philippus custodia penitus liberaretur, & tuto certoque extra periculum liber sisteretur; sicut & postea quarto die Septembris dimissus, domum sexto die post, & quidem non sine magno gaudio & applausu tam liberorum, quam etiam nobilitatis &



totius sui populi Hassiaci, reversus est, & simul Dux Saxoniae Johannes-Fridericus est liberatus; & ut deinde, intra dimidii anni spacium, Comitatus haberentur, in quibus, qua via quibusq; modis, nimirum vel generali, vel nationali Concilio, aut Colloquio, vel communi etiam Imperii Conventu, Religionis discordia commodè atque compendio sopiretur, & quantum fieri posset, ad unionem & concordiam piam & Christianam redigeretur, atque ejusmodi conciliatio religionis ab omnibus sacri Imperii statibus seu ordinibus, mediante Caesarea Majestatis ope praesidioque, pertractaretur: Nec interea Caesarea, vel Regia, Majestates, nec Electores, Principes, & sacri Imperii status, quempiam ex Augustanae Confessionis ordinibus, propter religionem vi factove, aut alias contra ejus conscientiam & voluntatem cogere, aut ea de causa vi bellove petere, vel invadere, vel oppugnare, eique damnum aliquod inferre, sive per mandata, sive aliquo quovis modo ipsum gravare, vel etiam contemnere deberent, sed sua religione, & fide, quiete & pacifice uti frui permetterent; & quicquid in illis Comitibus, communi ordinum consilio, & interveniente Caesaris autoritate, decerneretur, in posterum firmum atq; ratum esset, neq; in contrarium, aliave via diversum quicquam ageretur.

Ajunt, nihil saevius & ferocius esse pantheris, & tamen leguntur saepe in circo, ceu reverentia quadam, non secus sicuti ferox ille leo, de quo ex Appione Polyhistoris Gellius refert, Romae in circo maximo, servo Androdo pepercit, sanctis pepercisse. Has superat rabies Pontificum Romanorum, qui adeo non parcunt ullis, ut civile bellum accendi, & tot nationes, Germanicam, Belgicam & Gallicam deleri, tot honestas matronas, tot infantes jugulari, & vastitatem Ecclesiarum effici cupiant aeternam. Hac igitur salutari Ducis Mauricii Electoris & Landgravii nostri GULIELMI expeditione, memorabili sane ad omnem posteritatem exemplo, & victoria, non tantum captivus illorum socer, & pater, jure quasi postliminii, pri-

stinæ

finæ libertati est restitutus, verum etiam **PAX SACRA**, sive  
**RELIGIONIS**, ut vocant, impetrata, & Cæsari propemodum  
 extorta, & isti negotio & bello, cum perpetua illorum laude &  
 gloria, talis finis impositus, ut ab eo tempore rabies Pontificum  
 Romanorum, & eorum satellitum, in Evangelicos, ut vocant,  
 cessaverit, & pax & tranquillitas in Imperio sit hactenus conser-  
 vata; sicut hæc ipsa pax, in Comitibus Augustanis anno 55 post  
 subsequutis, publico decreto est confirmata, ne videlicet pro-  
 pter Augustanæ Confessionis doctrinam, fidem atque religio-  
 nem, Cæsar, Ferdinandus Rex, cæteri que Principes ac Ordines,  
 quenquam totius Imperii, quocunque modo violarent, nec  
 ad deferendam suam religionem, cæremonias atque leges, quas  
 in sua ditione vel jam instituisent, vel posthac instituerent  
 Confessionis Augustanæ socii, mandatis aut alia quavis ratio-  
 ne cogerent, neve contemnerent etiam, sed hanc religionem  
 illis liberam permetterent, simulque bona, facultates, vectiga-  
 lia, possessiones, atque jura, sic ut pacatè possent eis uti frui; dis-  
 sidium quoque religionis, non aliis, quàm piis, amicis & tran-  
 quillis rationibus componeretur. Et eodem modo, qui sunt  
 Confessionis Augustanæ, sese erga Cæsarem, Ferdinandum Re-  
 gem, cæteros que Principes ac Ordines, antiquæ seu Romanæ  
 religioni conjunctos, tam sacros, quàm civiles, & erga cæteros  
 omnes Ecclesiastici Status, eorumque collegia gerent. Ita ut  
 proximè, & secundum Deum, Electori Mauricio, & nostro illu-  
 stri Heroi, Domino Landgravio **GULIELMO**, hoc potissi-  
 mum omnes acceptum debeamus, quod illorum magnanimitate,  
 fortitudine, ope & auxilio, ejusmodi pacem sacram obti-  
 nuerimus, qua licet adhuc faces & reliquiæ Papatus, apud non-  
 nullos Status Imperii, & in illorum ditionibus, sint conservatæ:  
 aliis tamen statibus & ordinibus Imperii, qui à Romana Eccle-  
 sia discefferunt, ita profuit, ut ab eo tempore securè & quietè  
 vixerint, & nemo contra dispositionem illius pacis sacræ ha-  
 ætenus, intuitu religionis, vel in persona, vel rebus, à quoquam

turbatus, aut molestatus fuerit. Et cum in illa pace sacra, inter alia quoque hoc sit constitutum, ut si quis Archiepiscopus, Episcopus, Antistes, aut alius ordinis Ecclesiastici, a religione veteri (ut vocant) Romana, & Pontificia nimirum, deficeret, is continuo ab Episcopatu suo, praefectura, beneficio, simul omnibus etiam fructibus, quos inde percepisset, decederet: quod ipsum tamen ad nullam ejus infamiam cedere, vel pertinere deberet; & collegio, sive iis, ad quos ea res jure, vel consuetudine pertinet, liceret & integrum esset, in ejus locum eligere, & constituere alium, qui veteris esset religionis, & hoc potissimum cum ob finem, quo nimirum institutionis, electionis, praesentationis, confirmationis, & id genus alia jura, simul cum tranquilla, & quieta possessione bonorum Ecclesiasticorum, illis integra permanerent: sic tamen ut futurae conciliationi religionis, de qua dictum est, hoc ipso nihil detraheretur; Haec vero dispositio sociis Augustanae Confessionis displiceret, idcirco contendebant, omnibus indifferenter licere, ipsorum doctrinam sequi, & pacis beneficium illis esse communicandum, eo quod promissiones Dei, tam veteris, quam novi Testamenti, quae salutem nostram continent & complectuntur, ad omnes homines pertinerent; itaque ipsis non licere illas certis finibus includere, vel in angustias redigere, ne hac ratione & alios & semetipsos a regno caelorum excluderent. Et nullum esse Judaeum, vel Turcam, ita affectum, qui non velit omnes a se posse in suam religionem adduci; quanto magis ergo oporteret eos idem facere, quibus hoc a Deo gravissime, & ferio, esset praecipuum & mandatum? Libertatem itaque omnibus hac in parte esse concedendam, & se ex sacris literis, & decretis Patrum atque Conciliorum, docere posse, quemadmodum hi, qui veteris & Catholicae religionis titulum sibi sumerent & vendicarent, non absque magna Dei contumelia, religionem tractarent, & bonis Ecclesiarum abuterentur: Veruntamen pacis causa permittere velle, ut suas leges, ritus & caeremonias illi retine-

retinerent, & omnibus bonis, possessionibus, vectigalibus, jure, privilegiis, uterentur fruerentur, quoad religionis dissidium componeretur. Nullo autem modo se posse ferre vel probare, quod Episcopis Augustanam Confessionem amplecti volentibus, ejusmodi duram conditionem prescribere vellent: sic enim futurum, ut suæ nimirum religionis approbatores & socios oppugnare tenerentur, & magno cum dedecore, & infamia, totam suam causam ipsi damnare; cum hoc esset fateri, doctrinam & religionem eorum, non esse dignam sacris bonis, & huc usque perperam ea bona suis Ecclesiis ministrisque fuisse applicata; imò faterentur, doctrinam adversariorum impiam & impuram niti verbo divino, & bona sacra esse simul huic ipsorum impuræ vitæ, legibus, atque ceremoniis consecrata ne dicerent, quantam ea res paritura esset offensionem, si causam eorum, & facultates, tuerentur, qui nullum Ecclesiæ vel utile, vel necessarium officium præstarent, & illos proderent, qui propter eandem religionem sibi quàm commendatissimi esse deberent. Adversariis autem contranitentibus, & Episcopum, vel Abbatem, religionem mutantem, ipso jure & factò, sine prævia causæ cognitione, loco moveri volentibus, & alium substitui; inter alia etiam hoc adjicientibus; siquidem Ecclesiasticis religionem mutare concederetur, futurum, ut Episcopatus, & id genus alia collegia, prophanarentur, & ab Ecclesiis avulsa, paulatim in manus Principum devenirent, iisque hereditaria fierent: Hoc verò Augustanæ Confessionis socii, nunquam sui consilii fuisse, verum eò spectare dicerent, ut collegia sacra, ad pristinam institutionem revocata, veris usibus accommodarentur, & in perpetuam ea bona iis Ecclesiis manerent annexa, & ne dubitationi ullus relinqueretur locus, idoneè cavere promitterent, fore, ut quibus in Episcopatibus & Collegiis religio mutaretur, ex bonis illorum nihil alienaretur, utque post ejusmodi Episcopi, vel Antistitis, mortem, aut resignationem æquè libera permitteretur Collegiis tum electio, tum admini-

stratio. Tandem cum post variam actionem inter illos hac de re convenire non posset, Rex Ferdinandus nihilominus eam sententiam, ut si Episcopi religionem mutarent, ab administratione simul & bonis decederent, approbavit, & Augustanæ Confessionis socios, ut assentirentur, multis verbis hortatus est. Cui cum assentire se non posse palam declararent, & illam particulam omitti à Rege Ferdinando denuo peterent; ille vero nihil amplius posse tribui responderet, & ea diceret nunc eis concedi, quæ tot annis nunquam impetrari potuissent, idcirco, ut acquiescerent, illos moneret, alioquin futurum, ut nullare perfecta, ex Comitibus discederetur, & si quid incommodi inde suboriretur, non esse, quod vel in Cæsarem, vel in se, posthac ullam culpam transferrent, qui tam leniter & patienter causam hanc tractasset: factum est, ut cum neque Cæsari, neque Regi Romanorum, modum aliquem hac in re Augustanæ Confessionis sociis præscribere liceret, Rex Ferdinandus ad extremum, proprio motu, hanc particulam, ut nimirum Ecclesiasticus, qui religionem mutaret, beneficio suo multaretur & privaretur, paci sacræ inseruerit. Cui tamen nihilominus Confessionis Augustanæ socii, non tantum est vestigio, verum etiam in aliquot subsequentibus Comitibus, denuo contradixerunt, & palam tam voce, quam scriptis protestati sunt, quod eam sententiam neque approbassent, neque unquam approbare, vel eam amplecti possent. Et hinc illa lerna & Ilias malorum originem habet, & adhuc durat, quo minus stabilis & firma consensus animorum, inter Status, vel Ordines Imperii, sanciri vel conservari possit, priusquam libertas religionis etiam in diocesis Papisticis, ut vulgo vocantur, concedatur, & non minus Augustanæ Confessionis socii, quam alii Romanæ religioni addicti, in iis ferantur, & ad æqualia beneficia & dignitates earundem admittantur.

Si igitur votis quicquam proficere possemus, optandum esset, ut non tantum politici & seculares, verum etiam Ecclesiastici

fiaſtici Status Imperii , Pontificiæ religioni adhuc addiſti, ſerio  
 cogitent & perpenderent , in quæ tempora inciderimus , &  
 quàm miſerabilis hodie ſit facies Romani Imperii , & quid iſſi-  
 dem & nobis omnibus, in eo indies, cùm ab irruptionibus bar-  
 baricarum gentium , & Turcis, tum etiam inteſtinis diſcordiis,  
 ſingulis propemodum horis & momentis ſit metuendum & ex-  
 pectandum, & propterea tantò majore cura in eam rem incum-  
 berent, hoc agerent, hoc curarent, & perficerent, ut in hono-  
 rem Dei, & propagationem illius divini nominis, deinde et-  
 iam propter ſalutem publicam, non tantùm horrendi illi ab-  
 uſus & idololatriæ, jam tot annos in Eccleſiam Romanam in-  
 vectæ, aliquando ex Eccleſiis Pontificiis exterminarentur &  
 abolerentur; verùm cùm tot jam ſint Principes, Comites, &  
 Nobiles, qui ab idololatricis cultibus in Papatu abhorrent, illi  
 non minùs, quàm qui adhuc illis aſſentiuntur & adherent, ad  
 diœceſes & collegia ſacra , nec non illorum commoda & di-  
 gnitates admitterentur, & ut iis uti frui poſſent, permitteretur,  
 cùm alioquin impoſſibile ſit, ut diſſidentibus animis in religio-  
 ne, vel nō æquè iis, qui ſinceriori religioni ſunt addiſti, ad bene-  
 ficia, & dignitates diœceſium, quàm aliis admiſſis, ulla conjun-  
 ctio animorum & concordia in Imperio ſit ſperanda, vel expe-  
 ctanda, tantum abeſt, ut ulla firma & ſtabilis pax & tranquillitas  
 poſſit ſanciri & ſtabiliri.

Ex iis igitur, quæ hæcenus ex hiſtoria Ducis Mauricii & Land-  
 gravii GULIELMI, retulimus, videre licet, quantæ curæ utri-  
 que huic Principi fuerit, religionem promovere, & eam in Im-  
 perio ſtabilire. Reſtat nunc, ut reliqui Status Imperii huic rei  
 colophonem, vel ſummam, quod dici ſolet, manum impo-  
 nant & adjiciant, præſertim cùm res jam eò devenerit, ut non  
 tantùm plerique Episcopatus, in urbibus maritimis, & verſus ſe-  
 ptentrionem ſitis, ſint reformati, verùm etiam unus atque  
 alter Episcoporum, paulò ſuperioribus annis apud Rhenum,  
 religionem mutare cœperint, & pleriq; Capitularium in non-

nullis diœcesibus apud Rhenum, Augustanæ Confessioni, seu puriori & sinceriori religioni sint addicti: Et hac ratione, hic casus in pace sacra sit omissus, & non decisus, idcirco dispositioni omnium Ordinum Imperii adhuc subjacet, qui inter se convenire, & apud Cæsaream Majestatem hoc agere & impetrare possunt, ut sincera religio in omnibus diœcesibus admittatur, & earatione ubivis locorum in Imperio salutaris pax & concordia sanciat & constituatur, quam tantó magis omnes expetere & promovere debent, quód omnes res pace crescant & floreat, bello veró, & discordia, dilabantur, imó sit, secundum Silium Italicum,

*Pax optima rerum,  
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis  
Innumeris potior, pax custodire salutem,  
Et cives aquare potens.*

Et deceat, potissimum nos Germanos, concordia, non tantum quód homo etiam exterus, civis Atheniensis, Chalcondylas, adhuc ante paucos annos majorib. nostris hoc testimoniũ tribuit, Nullam se nosse gentẽ, cujus mores sint honestiores, quã si concors esset, esset invicta: sed ut tantó etiam cõjunctiores & aciores in defensione patriæ contra Turcas, & aliarum barbaricarum gentium incursiones & irruptiones esse possimus.

Et cum in supra memorata transactione Passaviensi, inter alia quoq; ordinatũ & dispositum fuerit, ut in controversia illa, de Comitatu Cattimelibocensi, inter illustrissimos Principes D. PHILIPPUM, Landgraviũ Hassiæ, reũ conventũ, & GULIELMUM, Principem Auraice, & illius illustrẽ & generosum patrem, WILHELMUM, Comitẽ Nassoviæ, &c. actores, a parte Nassaviensium, durante Landgravii custodia, impetratarũ & promulgatarum sententiarũ executio suspenderetur & differretur, donec Landgravio PHILIPPO liberato, amica inter partes transactio institui agiq; posset; & sin minus ea locum haberet, vel inveniret, Landgravio tamen, prout equitati consentaneum esset,

sua

sua testimonia, literarum documenta, aliâq; necessaria, quæ ad-  
 vocatorum huc usq; defectu, durante custodia proferri non po-  
 tuissent, de cætero exhibere & producere liceret; & propterea  
 Principes mediatores & pacificatores sub finem anni 55, sicut  
 constitutum erat, Wormaciæ convenissent; eidem diatæ illu-  
 stris heros noster Landgravius GULIELMUS, nomine & loco  
 parentis sui Landgravii PHILIPPI, interfuit. Sed cum rein-  
 fecta discederet, tandem hæc controversia, qua sanè nulla un-  
 quam in Germania extitit illustrior, gravior, & magis diuturna,  
 siquidem ad quinquaginta propemodū annos disputata & ven-  
 tilata, Francofurti ad Mœnum, 30 die mensis Junii, anno 1557,  
 per illusterrimos Principes, D. Ottonem Henricum, Comitem  
 Palatinū ad Rhenum, &c. Dn. Augustum, Ducem Saxonie, &c.  
 Electores, Dn. Wilhelmum, Ducē Juliacensem, &c. & Dn. Chri-  
 stophorum, Ducem Wirtembergensem, &c. transactione felici-  
 ter & penitus hunc in modum fuit composita & sopita, ut casta-  
 tis omnib. diffinitivis & executorialibus in hac causa promulga-  
 tis, apud D. Landgravium Philippū, & ejus Celsi hæredes omnia  
 D. Principi Auracæ, & Comitibus à Nassau, adjudicata oppida,  
 castra, prædia, reliquaq; tam mobilia quàm immobilia, rema-  
 nerent. Et Landgravius Philippus vicissim Principi Auracæ, &  
 Comitibus Nassovæ, ad certos terminos, sexies centena millia  
 aureorū solveret. Cui transactioni postea ab utrisq; partib. est pa-  
 ritū, ita ut Landgravius Philippus, Principi Auracæ, & illius patri  
 Wilhelmo, Comiti Nassovæ, quater centena & quinquaginta  
 millia aureorum in ære numeraverit, & pro reliquis centenis &  
 quinquaginta millib. illis quartam partem Comitatus Dizensis,  
 cum confinibus castris & prædiis, prout Landgravii Hassiæ ante  
 hanc transactionē illa omnia possederūt, cesserit, & Princeps Au-  
 raicus, & Comites Nassovæ, in posterum non minus se Comites  
 Cattimelibocenses, sicut etiā Landgravii Comites Dizenses scri-  
 berēt, & signa seu arma gentilitia eorundē Comitatuū in suis cly-  
 peis vel insignib. utrinq; gererent & retinerent; & sicubi domus.



Hessiacæ sine mascula sobole decederet, unus Comitatum Catimelibocensium, sive superior, ditionis Gerariæ, sive inferior apud Rhenum, familiæ Nassoviorum cederet, vel à successoribus domus Hassiacæ illis ter centena millia aureorum pro eo numerarentur.

Post liberationem vixit Landgravius PHILIPPUS adhuc 15 annos, & anno 1561, die 20 Junii interfuit Conventui Electorum & Principum Augustanæ Confessionis Naoburgi; in quo Imperatori Ferdinando, de Concilio recéns á Pio Pontifice Medicæorum familiæ indicto responderunt, & denuó Confessioni Augustanæ, prout á PHILIPPO MELANTHONE, etiam vivente adhuc Luthero, fuit retexta & recognita, ipso Melanthono præterito anno nimirum 60 jam mortuo, subscriperunt. Et memoria dignum est, quòd cum in hoc ipso Conventu Dux Saxonie Johannes-Fridericus Vinariensis, instinctu Matthiæ Flacii Illyrici, ut plurimum urgeret, & apud reliquos Confessioni Augustanæ addictos Principes diligenter instaret & sollicitaret, uti nimirum recessui ibidem confecto & conscripto, in articulo de sacra Coena Dominica, hæc particulæ *in, cum & sub* pane nos percipere corpus Christi, adjicerentur: illi tamen hoc facere recusarunt, atque eo ipso *omnis* seu co-existentiam corporis in vel sub pane, sive consubstantiationem, ut vocant, pro qua tantopere adhuc hodie á nonnullis dimicatur, improbarunt. Postea Landgravius PHILIPPUS 31 Martii, die secunda Paschatis, anno 1567 moritur, ætatis 63, anno á captivitate vel custodia 20, á liberatione 15, gubernationis suæ 50, á morte Philippi Macedonis, cum quo Melanthon illum conferre & comparare, & subinde quoque in Epistolis suis ita eum appellare solitus est, 1901, quo ipso anno 13 Aprilis post die Dominico, qui dicitur Misericordia Domini, urbs Gothia & arx contigua Grimmenstein Commissariis Imperii & Electori Augusto, uná cum Duce Saxonie Johanne-Friderico est tradita, & arx solo æquata; Et Ferdinandus Dux Albæ cum exercitu

citu in Belgium venit, & gubernator Belgii á Philippo Rege Hispaniæ constitutus est, & horribilis illa laniena & persecutio illorum, qui purioris religionis in Belgio essent suspecti, Busyridis, Phalaridis, Neronis, Caligulæ & Domitiani tyrannidem & savitiam longé antecedens & exuperans, cœpit; in qua non tantum sequenti anno 69 die 4 Junii, Princeps Egmondanus, & Comes Hornensis Bruxellæ capitis supplicio sunt affecti; verum Dux Albanus illo sexennio, quo clavum Reipub. in Belgio tenuit, quemadmodum ipse est gloriatus, plus quam octodecim hominum millia carnificis manu contrucidandos dedit & jussit, & cum Hispanicæ inquisitionis sanctis illis, si diis placet, patribus, vel hæreticæ pravitatis, ut vocant, inquisitoribus, non tantum de extirpandis é Belgio, verum etiam Gallia, & toto orbe Christiano, quotquot religionis essent suspecti, imo de subjiciendo tyrannidi Hispanicæ toto Imperio Romano, consilia agitavit; unde adhuc illa malorum & bellorum in Belgio & Gallia calamitas, cum maximo detrimento & incommodo Imperii Rom. & ejus membrorum & subditorum, durat.

Cum autem plerunque fieri soleat, ut Principum familie ex æquali divisione bonorum, si non plané intercidunt, saltem ita attenuentur, ut pro dignitate statum & conditionem suam tueri amplius nequeant; unde avorum quoque nostrorum memoria, feuda dignitatum apud unum ex familia, præsertim seniorem, semper facta tecta que conservata sunt, quod prudenter considerârunt, nihil esse tam magnum, quod divisione parvum nõ fiat, ut inquit Imperator noster Justinianus in authent. de trient. & semiss. §. I. Landgravius PHILIPPUS, ut fuit Princeps prudens & providus (non obstante communi & veriore illa sententia & opinione Juris, quod filii æqualiter parenti in feudis, sicut & in bonis allodialibus, succedere debeant, & vasallus non possit disponere, quod unus filiorum duas partes habeat, alter tertiam, multo minus, quod uni totum feudum assignet, eo quod providentia legis seu consuetudinis feudalis

hoc privilegiū filiis præstet, ut æqualiter in iis omnes succedant; unde id quod lex alicui tribuit, non possit ab alio nisi ipsa lege auferri) non aliter quàm sicut Cyrus Rex Persarum, inter filios suos ante mortem disposuit, ut licet pari benevolentia omnes cõplecteretur, tamen penes Landgravium GULIELMUM maximum natu filium semissis seu dimidia pars bonorum illius remaneret. Cui dispositioni patris cum reliqui filii cõsentirent, & illam assignationem ratam haberent, & quilibet favori & juri pro se introducto renunciare possit, & alioquin vera sit sententia Baldi, quod feudum antiquum de voluntate & consensu reliquorum filiorum, per patrē uni ex filiis assignari queat: Landgravius GULIELMUS in media parte bonorum à patre relictorum successit, cum reliquis tamen suis tribus fratribus ita vivebat, ut sicut orbis cœlestes miris anfractibus sibi mutuò cedunt, ut suam harmoniam & concordiam eo quasi obsequio tueantur, sic ille cedendo, ferendo, & placidè contrà nitendo, concordiam & amicitiam cum fratribus coleret, servaret & retineret summā, & illi eum vicissim non tantum velut fratrem amarent, verum etiam quodam modo revererentur & observarent, ita ut nullæ propemodū simulates inter illos unquā sint deprehensæ vel animadversæ: exemplum & præceptū illius Sciluri Scythæ, octoginta liberos masculos habentis, sibi proponentes, qui cum moritutus esset, fasciculū jaculorum singulis porrexit, & illum rumpere jussit; id cum singuli recussissent, eo quod impossibile videretur, ipse singula jacula exemit, atq; ita facile omnia cõfregit, filios admonens his verbis: Si concordēs eritis, validi & invicti manebitis: contrā, si dissidiis & seditione distrahemini, imbecilles & expugnatu faciles critis. quo sane Scythæ non magis Scythicè rem ob oculos ponere potuisset: imò Cyri Regis Persarum consilio obtemperantes, quod fieri non possit, ut qui eodem sanguine prognati, & ab una & eadem matre alti, iisdem in ædibus creverunt, & ab iisdem parentibus dilecti, eundem tum patrem tum matrem appellarunt, non omnium sint

conjunctissimi? ut apud Xenophontem in fine libr. 8. de institutione Cyri, hæc historia eleganter ad longum deducitur & commemoratur.

Ceterum in uxorem noster Heros habuit illustriss. Principem SABINAM, Ducis Christophori Wirtenbergici filiam, foeminam ut alto sanguine natam, ita lectissimam & in primis mariti observantissimam; in qua verè eluxerunt velut gemmæ, virtutes honesta matrona dignæ; pietas, modestia, gravitas, temperantia, sedulitas, liberalitas erga egenos & pauperes, & præcipuè summus & mirificus erga maritum & sobolem amor; quæ ei unicum filium illustrissimum & maximæ spei Principem Landgravium MAURICIUM, cum quatuor filiabus reliquit, & cujus præsentiam in viduo statu multoties expetere & requirere solebat, sæpè cum lacrymis repetens, quàm sibi chara fuisset, & quàm ægrè illa à sese fuisset avulsa, & ipse illam, si DEO non aliter visum fuisset, amisisset; prout

*Non dolor est major, quàm cùm vehementia mortis*

*Unanimi solvit corda ligata fides;*

ut de orbitate conjugum gravissimè vir & poëta optimus Johannes Stigelius scripsit. Ut enim nullum est arctius vinculum in genere humano, quàm dulcissimum foedus conjugii: sic homini *φιλοσβεργω* non posse tristius atque acerbius vulnus infligi judico, quàm cùm vitæ sociam & costam corporis sui, sive ut veriùs dicam, partem animæ suæ amittere cogitur: ut sanè optimo Principi optandum fuisset, istam conjugem ei adhuc diutiùs superstitem fuisse, cùm ingravescente ætate, sua comitate & mansuetudine multas ipsi curas & molestias lenire potuisset.

Cùm autem in Ecclesia Deus disertè Principibus & Regibus populorum præceperit, ut librum legis divinæ, continentem normam veræ agnitionis & cultum Dei, & regulam consiliorum, actionumquæ vitæ, in gubernatione Reipublicæ & pri-

vatis moribus omnium, diligenter & assiduè legant, discant, custodiant, dies & noctes meditentur, eamque normam in tota gubernatione & officiis omnibus erga Deum & homines sequantur, nec unquam ex oculis aut manibus recedere patiantur; noster heros à primis annis ita institutus erat, ut nullum propemodum diem prætermitteret, in quo non aliquem textum in sacris literis legeret & medicaretur, sicut fermé nulla pagina in illius Bibliis conspiciebatur, quæ non erat aliquoties pervoluta, & multa in ea vel in margine notata vel alioquin calamo signata. Juxta igitur hanc normam, suam gubernationem instituebat, ut non tantum puritatem verbi divini suis subditis proponi curaret, verum etiam, ut consensus doctrinæ, præsertim hoc tempore, quo tam varia certamina passim in Ecclesiis sunt mota, inter ministros suarum Ecclesiarum esset; & sicuti Ubiquitatem & Omnipræsentiam carnis Christi in articulo de persona Christi, & corporalem illam *σωροταν* & coëxistentiam corporis Christi in pane, & oralem ejus manducationem in Cœna, seriò, veluti non tantum verbo Dei, & articulis fidei nostræ, verum etiam toti orthodoxæ antiquitati omnibus temporibus contrariam & incognitam, & recens primùm ab inquietis ingeniis in Ecclesiam introductam, improbabat, execrabatur & detestabatur, & in sacrosancta Cœna, secundum sententiam Irenæi, duo credebat, rem terrenam, videlicet externa elementa panis & vini, quæ ore corporis, & rem cœlestem, corpus nimirum & sanguinem Domini, quæ virtute & efficacia Spiritus sancti sola fide percipiuntur; non quæ manibus sacerdotum tractantur, franguntur, & dentibus atteruntur, ut Berengarius coactus ad veræ sententiæ, quam antea professus esset, *σαλισηδίαν* sensit; non quæ (ut nonnulli dixerunt & scripserunt, Berengarii palinodiam approbantes) non tantum oraliter, verum etiam labialiter, dentaliter, & lingualiter; quæ Adverbia sunt ipso penè stupenda sono; sumuntur: Ita hoc unice curabat, cavebat & providebat, ne in suæ ditionis Ecclesias ta-

lia

talia commenta & traditiones hominum inveherentur. Et meminimus illum sæpè ex animo deplorare & detestari, eò jam rem devenisse, ut in tanta luce doctrinæ coelestis, qua veritas illius ne quidem tempore Apostolorum clarior affulset & illuxit, cuilibet ferè liceret peculiare opinioniones de præcipuis religionis Christianæ capitibus fingere, & eas postea pro sacris oraculis in vulgus spargere, & ut iis omnes assentirentur, & fidem haberent, propemodum exigere & postulare; qui verò hoc facere recusarent, veluti anathematis fulmine percuterentur, & pro hæreticis haberentur; qualis tyrannis in Ecclesiis, nisi sub Papatu, nunquam fuisset audita vel animadversa; idcirco se mirari dicebat, quòd talia deliria & commenta adhuc patronos invenirent, qui defensionem illorum susciperent, & aliis obtrudere conarentur; cum solam, summam & ultimam consolationem in omnibus miseriis & adversitatibus vitæ hujus, & præcipuè in morte, ex incarnatione Filii Dei haberemus, qui nimirum natus ex Maria virgine, verus homo factus esset, & precioso sanguine ejus redempti, Deo quæ fide reconciliati, atque uno Spiritu ipsi inserti & adunati, inchoata novitate ei hinc similes in natura humana efficeremur, caro de carne, & os ex ossibus ejus, & postea in illa aternitate, gloriosæ ejus carni conformati, summum ipsum ac prævium in carne nostra ducem ad patrem habituri essemus; quam consolationem portentum commentitiæ Ubiquitatis prorsus everteret & extingueret.

Deinde subditorum mores ita regebat, ut quantum fieri posset, cum norma legum honestarum congruerent, & suum cuique corpus & bona, voce legum, judiciis, & armis, si opus fuisset, adversus injurias defenderet, & contumaces & flagitiosos puniret, atque ita pacem publicam propter hunc finem conservaret, ut societas hominum civilis, tranquilla & incolumis servaretur, & Dei sapientia, bonitas & justitia, in legibus, judiciis, justorum defensione, & poenis sceleratorum, ab hominibus agnosceretur & celebraretur, & in pace vera de Christo doctrina late

spargi, Deo æterna Ecclesia colligi, & mores piæ & modestæ regni & in summa, ut Apostolus inquit, subditi tranquillam & quietam vitam cum omni pietate & honestate sub illius imperio agere possent: unde meritó pro patre patriæ, vel potius familia, & bono Principe, qui secundúm Xenophontem, nihil differt á bono patre, & pro pastore populi, sub cuius arbore vel umbra subditi, ut apud Danielem bonus Princeps. depingitur, pascerentur, á suis fuit habitus, agnitus & honoratus. Præterea in subditos non sæviebat, vel eos emungebat, vel immoderatis exactiõibus deglubebat, nec assiduis operis, ut non suppeteret eis tempus sese & suos alendi, excruciabat, sed ita tractabat, ut nemo de ipsius sævitia vel immoderatis operis & exactiõibus quicquam meritó conqueri possit, imó omnes illius erga se benignitatem & clementiam potius prædicent, & ad coelos usq; tollant.

Et quemadmodúm Dux ille Thebanus Epaminondas, cúm Thebani cives festis quibusdã diebus, solutiús cõpotationibus indulgerent licentiusq; voluptatibus fruerentur, ille solus vigil ac sobrius lustrabat, & urbis moenia obambulabat, & rogatus cur id faceret, respondit, *σε νήφειν ἢ ἀγρυπνεῖν, ὅπως ἐξῆ τοῖς ἄλλοις μεθύειν καὶ καθύδνειν*, se sobrium esse ac vigilare, quó reliquis liceret temulētis esse ac dormire, quemadmodúm Plutarchus in libello, Adversus imperitúm Ducem, refert; Et Virgilius suum AENEAM aliis dormientibus vel voluptati indulgentibus aut vigilantem facit, aut certé excitat, & cogitabundum, sobrium, & de futuris animo cogitantem fingit; ita noster Princeps non tantúm de salute suorú, verúm etiam communis patriæ, semper sollicitus, & nunquã minus ociosus erat, quám cúm ociosus, nec minus solus, quám cúm solus esset, sicuti testante Cicerone Cato scripsit, Publium Scipionem Africanum de se dicere solitum fuisse, unde non tantúm exteri Reges & Principes, verúm etiam ipsi Imperatores & Principes Germaniæ in gravissimis & dubiis rebus subinde ad illum, veluti sacram anchoram, confugiebant, & eum tanquam Apollinis aliquod oraculum vel tripodem consulabant.

Simili ratione ut Aelius Lampridius de Alexandro Severo Imperatore scribit, quod ipsi consuetudo fuerit, ut si de Jure aut aliis negotiis tractaret, doctos & disertos adhibuerit, & negotia & causas prius á scriniorum principibus, & doctissimis Jurisperitis, & sibi fidelibus, quorum primus & præcipuus tunc Ulpianus Jurisconsultus fuit, tractari ordinarique, atque ita referri ad se præceperit, neque ullam constitutionem sanciverit sine xx. Jurisperitis, & doctissimis ac sapiētissimis viris, & id quidem ita, ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset, dato tamen spacio ad disquirendum cogitandum, que priusquã dicerent, ne non-meditati de rebus gravibus & ingentibus dicere cogerentur; si veró de re militari tractaret, milites veteres & senes ac bene meritos, & locorum ac bellorum & castrorum peritos, & literatos, & maximé eos, qui historias nossent, in consilium vocaverit, requirens quid in talibus casibus, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum gentium fecissent; Item cum inter suos convivaretur, aut Ulpianum, aut alios doctos homines adhibuerit, ut haberet colloquia literata, quibus se recreari dixit & pasci: Ita noster inclytus heros de omnibus incidentibus negotiis in consilium adhibebat doctissimos quosque, cum iisque libenter conversabatur, & eorum colloquiis & sermone delectabatur, & si sacra vel Theologica negotia tractanda venirent, cum Theologis; si Juridica, cum Jurisconsultis; si historica, cum historicis; si politica, cum politicis; si œconomica, cum œconomis; denique militaria, cum militaribus, & earundem artium peritis primó tractabat & communicabat, & postea quod sibi optimum videbatur, ex illorum consiliis eligebat & concludebat; non aliter quã sicut etiam Carolus quintus ferunt in deliberationibus, Consiliariorum sententias audire solitum fuisse, sed illis præsentibus nihil conclusisse, sed suo judicio solúm postea, quid tandem facturus esset, constituisse.



Et quamvis tam rebus privatis quàm publicis semper occupabatur, tamen ut Julius Cæsar apud Lucanum gloriatur,

*Se media inter praelia semper*

*Stellarum cæliq; plagis superisq; vacare:*

Sic noster princeps in mediis turbis negotiorum, syderum doctrinam colebat, & revolutionum cœlestium leges ac periodos observabat. Nam ut Petrus Appianus refert, se in bello Germanico anno 46 Ingolstadio oppido Baviaræ, ad Carolum v. in castra urbi tunc vicina evocatum fuisse, ut in machina certis rotulis orbis circumducentibus, repræsentante planetarum motus proprios, aspicienti certius & accuratius singula Cæsari monstraret: Ita noster Princeps similiter machinis mathematicis ut plurimum delectabatur, & mathematicum studiosos præ aliis amabat, & in suo conclavi, seu quocunque etiam peregrè abiret, semper globos cœlestes & terrestres, & alia instrumenta mathematica habebat, & secum circumferebat, ita ut nullo unquam ferè tempore cum ipso fuerim, quo non tractando & expediendo etiam varia & sæpè gravissima negotia, simul motus syderum contemplantem & considerantem deprehenderim. Sed potius me dies & tempus deficeret, quàm ipsius laudes *rar' d'Élav* decantarem, quod neque, ut suprà quoque dixi, mihi jam propositum est, neque impeditus dolore & ingenii inopia facere possem. Idcirco de illis potius silere melius puto, quàm parùm dicere, cum aliò me properare jam tempus admoneat.

Cum igitur talem tantumque Principem amiserimus, cujus ad restituendam pacem & religionis emendationem, & quidem hoc ipso

*Tempore, quo toto sævit Mars impius orbe,*

& penè tota Germania civili bello ardet, autoritate, prudentia & animi magnitudine maximè opus erat: meritò illius mortem deflemus, lugemus & deploramus, non tantùm quòd Principem amiserimus, cujus consilio & autoritate publica mala sanari

nari potuissent, sed quód illo moriente, non domino, sed patre, & quidem alienissimo tempore, orbatí sumus.

Quia veró cüm ante annum, vel circiter, optimus Princeps noster similiter graviter decumberet, & nulla spes vitæ reliqua appareret, ministro verbi ipsüm consolanti & admonenti, ut omnem spem & fiduciam suam in DEUM vivum, & ipsius Filium JESUM CHRISTUM, unicum Redemptorem & Salvatorem nostrüm, projiceret & collocaret, & ex eo postea quærenti, num hoc faceret? an in CHRISTUM Filiüm Dei crederet? Stomachabundus non nihil tunc temporis responderit; in quem aliàs credere deberem? verüm pauló ante agonem etiam has voces repetiverit: Sta, seu siste gradum, JESU CHRISTE; procul dubio hoc rogans & orans, ut sibi in hora mortis esse *πυργάτης*, assistere & astare vellet; nec non alia plura signa & indicia veræ constantisque pietatis erga Deum ediderit, imó se jamdudum ad mortem præparaverit, cüm & ante semestre spacium anni, stannum ex nundinis Francofurtensibus afferri serió mandárit, ex quo sibi pheretrum conficeretur; non dubium est, quin cum ipso præclaré actum sit, qui calamitosam hanc vitam deposuerit, & quód jam sit in cætu eorum, de quibus Apocalypsis 14 dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur; Idcirco ei talem vitæ exitum potiús gratulemur, in quo tam multa signa extant, ut immortalitatem adeptus, non amisisse vitam meritó credi debeat, quám ut ob ejus mortem, sicuti quidem deceret, pullati, lacrymas & luctum sumamus, apio flosculisque sepulchrum ejus ornemus, lymphas aspergamus, odores adoleamus; quibus tamen officiis, si ab Ethnicis ea mutuaremur, nihil proficeremus.

Et cüm filium magni ingenii Principem Landgravium MAURICIUM reliquerit; de illo nobis non solúm optimam spem faciamus, verüm potius certó promittamus, eum sicut patrum bonorum & opum, ita etiam pietatis, & aliarum virtutum, heredem & successorem fore; præsertim cüm & patrum habeat, Principem pium & prudentem, Dn. LUDOVICUM

Landgravium Hassiæ, Dominum nostrum clementissimum, qui quod ejus aetati adhuc forsân deest, suo consilio & prudentia supplere possit. Idcirco in hos illustrissimos Principes, & Landgravios Hassiæ, oculos conjicientes, eorum nos tutelæ & fidei cõmittamus, & tam privatam nostram, quàm etiã salutem publicam illis commendemus. Oro aut̃ DEUM Opt. Max. toto pectore, ut novum imperium Landgravii MAURICII fortunet, quó ad divini sui nominis gloriam & propagationem cœlestis veritatis, deinde etiã in salutem & commodum, tam Hassiæ, quàm totius Reipublicæ Christianæ cedat & vergat, & his miseris & turbulentis temporibus, has regiones & totam Germaniam protegat, nec barbaricam vastitatem in ea fieri sinat, sed Ecclesias ipsum veré agnoscentes & invocantes, sicut & earum hospitia, & honestam disciplinam, & doctrinarum studia, nec non ab omnibus impendentibus periculis & malis nos clementer tueatur, custodiat & defendat. DIXI.





